

tradunt Pragmatici, prodesse regulam illi, qui auctoritate ordinaria nactus fuerit beneficium reservatum Sedi Apostolicæ reservatione facta extra corpus juris; non verò illi, qui etiam auctoritate ordinaria beneficium consecutus est reservatum reservatione clausa in corpore juris. Videatur Faber in cod. lib. 1. tit. 2. def. 5. Mihi, ut verum fatear, placere nequit ista traditio, utpotè quæ neque est jure communi conformis, neque ex ipsa Cancellariæ regula satis deduci potest. Non est in primis conformis generali juris disciplinæ, etenim scimus, præscriptionem, à cujus regulis hæc triennalis possessio non recedit, semper habere locum, etiam si titulus adquirendi non ab eo dimanet, qui possit jus constituere, ac donare; scimus item, quam inani fundamento innitantur, qui reservationem clausam in corpore juris multo favorabiliorem cæteris reservationibus esse dixerunt, uti superius suo in loco traditum est. Non deinde satis bellè deducitur ex ipsa regula Cancellariæ, quando in verbis modò descriptis duo necessariò requiruntur ad exclusionem regula Cancellariæ, primùm, ut quis se intruserit, secundò, ut quis se intruserit in beneficia reservata reservatione generali clausa in corpore juris. Porro qui beneficium reservatum etiam reservatione clausa in corpore juris adeptus est ex auctoritate Ordinarii, non dici potest se intrusisse; quod tamen regula expressè postulat, ut quis à regulæ præsidio excludatur. Dices tamen: quò spectat singularis illa exceptio reservatorum beneficiorum reservatione clausa in corpore juris? Repono ego: quò spectat formula illa, dummodò se non intruserit? Æquis observationibus hucusque pugnaremus; atque in hac æqualitate videtur pro præscriptione concludendum; pro ea, inquam, præscriptione, quam Pragmatici ipsi ex bono publico prædicant interpretatione adjuvandam. Cæterùm adhuc dixero, Pontifices regulæ auctores voluisse quidem excludere à præsidio regulæ eos, qui se intruderent in beneficia Sedi Apostolicæ

reservata reservatione clausa in corpore juris, non tamen inde voluisse patrocinari cæteris intrusis in alia beneficia non reservata reservatione clausa in corpore juris; etenim non semper statim ac cætera beneficia specialiter memorantur, cætera exclusa intelliguntur, cum quædam memorari possint, veluti exempla regulæ generalis etiam in cæteris receptæ. Quòd si adhuc certam causam extitisse Pontificibus Maximis dicendum sit, quare specialem mentionem facerent beneficiorum reservatorum reservatione clausa in corpore juris; dicam, id eò pertinere, ut faciliùs indicaretur, in hoc beneficiorum genere difficilius præsumi posse bonam fidem, quam adversus juris communis disciplinam non satis probari, nec tuto alegari posse à viris ecclesiasticis, compertum est, cum viri ecclesiastici juris saltem communis notitiam habere debeant. Hæc est altera conditio, quæ sequi debet triennalem possessionem exemplo præscriptionis; cuius defectu quicumque se in beneficia intrudunt, præterquamquod legitimò etiam, iustoque titulo destituuntur, regula triennalis possessionis juvari nequeunt. Denique vitiosa possessio obvicem ponit triennalis possessionis juris; qualis demonstratur in eo, qui beneficium simoniacè obtinuit, uti expressè in eadem regula definitur; qualis etiam demonstratur in eo, qui plura beneficia incompatibilia possidet; non tam enim respectu ipsorum vitiosa est plurium beneficiorum impetratio, quam retentio, cum utraque apertè sacris sit canonibus interdicta. Eadem ratione dicitur vitiosa possessio, cum sæcularis beneficium regulare obtinuerit, aut è converso regularis beneficium sæculare; item cum quis obtinuerit beneficium certa lege; putà, ut intra certum tempus sacrum ordinem suscipiat, adjecta pœna caduci, & intra idem tempus legi non paruerit; præterea cum quis, dum esset excommunicatus, beneficium impetraverit, & diu manens in excommunicatione beneficium retinuerit. Denique regu-

la triennalis possessionis minimè favet illi, qui manuale, seu ad nutum conferentis avocabile beneficium impetraverit; ad hujus generis enim beneficia regula minimè pertinet, tantùm habens

locum in beneficiis perpetuis; ne regula hæc adversus naturam beneficiorum inducta videatur, qua tantùm bono publico prospectum fuit.

## CAPUT II.

### De forma collationis Parochialium Ecclesiarum.

**M**aximam præ cæteris sollicitudinem à conferentibus postulant Parochialia beneficia, quæ licet olim eodem modo, quo reliqua, conferrentur, posterioribus tamen constitutionibus singularem collationis formam, ita exigente necessitate quadam, aut certè gravi utilitate Ecclesiarum receperunt. Id primùm inductum fuit à Concilio Tridentino, in quo sess. 24. cap. 18. de Ref., statutum est, ut statim ac Parochialis Ecclesia vacet, auctoritate Episcopi debeat interea vicarius in ea constitui, qui curam animarum gerat, donec idoneus rector præficiatur, assignata illi congrua, quam idem Episcopus arbitretur, fructuum portione; quod locum habet in quibuscumque Ecclesiis, sive liberæ collationis, sive patronatis, sive patrimonialibus, ubi nimirum Episcopus tenetur certis, putà illius civitatis, vel loci Clericis beneficium conferre, sive ad Episcopi collationem spectantibus, sive Romano Pontifici aut reservatis, aut quocumque modo affectis, sive pertinentibus ad collationem inferiorum Prælatorum, seu Capitulum, causa privilegii singularis, sive vacant per obitum ultimi possessoris, sive per renunciationem etiam in Curia Romana factam. Interest enim Reipublicæ christianæ, interea populo rectorem sine mora præstitui, & quidem auctoritate illius, cui communi jure diocesanos universæ administratio mandatur, argumento capituli 4. de offic. jud. ordin. Quòd si Sedes Episcopalis vacet, sive jure, quia Episcopus obierit, vel depositus fuerit, vel renunciaverit, sive factò, quia Episcopus

longè absit, nec sit, qui gerat Episcopi vices, poterit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad illius vicarii constitutionem devenire, quod ad vicarii Capitularis officium pertinet; etenim in his speciebus jurisdictio Episcopalis ad Capitulum, sive ad vicarium à Capitulo constitutum devolvitur. Imò si fortè agatur de vicaria Parochiali, quæ ad certum Collegium spectet, Collegium ipsum poterit interea, ubi opus sit, Æconomum vicariæ vacanti constituere, si Episcopus longè distet, Æconomi officio tandiu duraturo, quamdiu Episcopus certior factus sit, & vicariæ vacanti consular, quemadmodum sacram Congregationem definitivè testatur Garzias de benefic. parte 9. cap. 2. num. 11., non quidem ut vicarius iste Sacramenta administrare possit, illa præsertim, quæ jurisdictionem postulant, sed ut bona Ecclesiæ, beneficiique custodiat. Porro vicarius ab Episcopo constitutus omnia munera obire poterit, quæ obiret Parochus ipse, si viveret, dummodò excipias illa, quæ Parochus obiret, non uti Parochus, sed uti dignitatem habens in Cathedrali, vel Collegiali Ecclesia, quoties Parochiale beneficium dignitati Collegiali esset adnexum; nam munera isthæc obeunda erunt per alias dignitates, vel Canonicos, qui proximè in gradu succedunt.

Postquam ita per Episcopum vacanti Ecclesiæ consultum est Tridentini Patres duplicem Parochi designandi rationem proposuerunt, ut alterutram Episcopi sequerentur. Primùm enim facultas facta fuit Episcopis, imò etiam quibus-



buscumque, sive Clericis, sive laicis, nominandi, quoscumque voluerint, Clericos ad regendam Ecclesiam idoneos, quorum nomina deputandis examinatribus exhiberentur, ut præhabita inquisitione nominatorum omnium, isti ad faciendum doctrinæ suæ periculum Episcopi auctoritate vocarentur; secundò facta facultas Episcopo fuit publico edicto indicendi concursus, ut quicumque velint subire doctrinæ suæ periculum, accedant omnes apud deputandos examinatores; atque horum alterutrum intra decem dies à notitia vacationis ab Episcopo faciendum Tridentini Patres decreverunt, nisi Episcopus idem ex justa causa tempus prorogandum iudicaret. Liquec hinc, aut sublatam fuisse, aut saltem coercitam facultatem commendandi ad semestre tempus Parochiales Ecclesias, quæ olim Episcopis competeat juxta capitulum 15. de elect. in 6. Præterlapso statuto tempore omnes seu nominati, seu spontè concurrentes examinandi erunt ab Episcopo, vel ejus Vicario generali, atque aliis examinatribus saltem tribus, quorum suffragiis, si paria sint, vel singularia, accedere poterit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur, illos videlicet adprobando, quos idoneos vel omnes, vel major pars judicaverint. Si unus tantùm ex concurrentibus idoneus iudicetur, huic conferendum est Parochiale beneficium; ubi autem plures idonei iudicentur, ex his Episcopus eum seliget, quem magis idoneum ipse iudicaverit, cui necessariò beneficium conferatur. Quales autem esse debeant examinatores ex verbis Tridentini Concilii perspicuè constat, quemadmodum etiam constat, magis idoneum ita instituendum esse, ut non valeat Episcopus minus idoneum, licèt verè idoneum, præferre, qua in re non scientia tantùm, sed etiam prudentia, ætas, mores, cæteraque ad regendam Ecclesiam opportuna erunt solertissimè conferenda. Re ita absoluta, qui magis idoneus habitus est, ab Episcopo, si ad eum, vel ab alio quocumque Prælato, si ad alium Præ-

latum collatio beneficii pertineat, erit instituendus. Quòd si de patronato beneficio agatur, distinguendum voluerunt Tridentini Patres laicum ab ecclesiastico patronatu ita, ut in ecclesiastico patronatu fiat quidem consuetò more concursus; deinde ab examinatribus declarentur, quotquot inter examinatos idonei habendi sint, atque inter adprobatos, qui magis idoneus à patrono iudicabitur, is ab eodem patrono præsentetur Episcopo instituendus, si ad Episcopum pertineat institutio; quoties autem non ad Episcopum, sed ad alium pertineat constitutio, tunc Episcopus ipsi digniorem inter examinatos, ac probatos eligat, atque ita electus per patronum præsentetur ei, à quo institutio est facienda; at in patronato laico abstinetur ab indicendo concursu, sed liceat patrono, etiam unum tantùm, si voluerit, præsentare necessariò instituendum, postquam ab eisdem deputatis examinatribus dignus repertus fuerit, & idoneus. Denique addiderunt Tridentini Patres, ab examinerum, atque ab Episcopali iudicio executionis impediendæ causa nullam fieri, ne ad Sedem quidem Apostolicam, provocationem posse.

Nova hæc disciplina generali Tridentino decreto constituta novis in dies interpretationibus, imò & adjectionibus indiguit, prout varia inde emergentia vel temporum, vel causarum adjuncta postulaverunt. Vix absoluto Tridentino Concilio Pius V. anno 1566. 15. Kalend. Aprilis constitutionem in hanc rem edidit, quæ incipit *In conferendis*, statuens in primis, collationes Parochialium Ecclesiarum factas præter formam Tridentini Concilii irritas esse, neque ullum jus institutis; imò nec titulum quidem coloratum possidendi præbere, ipsaque beneficia sic collata tanquam vacantia habenda esse, sublata eisdem, qui contra Tridentinam formam contulerunt, rursus pro ea vice conferendi facultate. Deinde decrevit, spatium decem dierum, quod fuerat à Tridentino Concilio præstitutum ad indicendum con-

cur-

cursum ita, ut Episcopo liceret illud rogare, non posse ultra alios decem dies extendi; item ubi libera sit Episcoporum, vel aliorum Ordinariorum collatio, intra semestre tempus faciendam esse collationem; ubi verò collatio pertineat ad Pontificem Maximum, designandum esse, & significandum Romano Antistiti intra quatuor menses à die vacationis eum, qui magis idoneus repertus fuerit; item ubi agatur de Ecclesiis juris patronatus ecclesiastici, vel laicalis, non posse ab Episcopo differri institutionem ultra bimestre tempus à die præsentationis numerandum, data post illud tempus facultate patronis impetrandæ institutionis vel à Metropolitanano, vel à viciniore Ordinario, vel à Sede Apostolica. Denique statuit, licere illi, qui non æquo iudicio Episcopi, alteri concurrenti minus idoneo postpositus fuerit, appellare ad Metropolitanum; vel si agatur de Metropolitanano, aut alterius exempti Episcopi iudicio, provocare ad viciniorem Antistitem, qui tanquam Apostolicæ Sedis delegatus ad novum subeundum periculum, & appellantem, & prælectum vocet, ita ut si appellantem magis idoneum noverit, ipsum, alio submoto, in Parochiali beneficio instituat, vel inferiori Prælato tùm instituendum remittat, cùm institutio ad inferiorem Prælatum, non ad Episcopum spectet. Porrò introducta appellatio ex Pii V. sententia impedit quidem, quominus ulla possessio instituto suffragetur, non tamen impedit, quominus qui ab Ordinario fuit electus, instituat; undeasserunt Pragmatici, appellationem hujusmodi introduci quidem, ut suspendatur Ordinarii iudicium quoad effectum, ut ajunt, devolutivum, non autem quoad effectum executivum.

Sed iterum post hæc disputatum ab Interpretibus fuit ad interpretationem tùm Tridentini Decreti, tùm Piane constitutionis. In primis enim passim quærebatur de beneficiis quibusdam, quæ à lege concursus exempta vel expres-

Tom. II.

sè, vel ex recta interpretatione dicebantur. Deinde inveniebant plurimi novas causas, quibus melius videretur consulendum formæ concursui præstituræ. His omnibus obviam itum est sensim, aut receptis, probatisque Ecclesiarum moribus, aut providentia recentiorum Pontificum, quos cum consilio suo adjuverit Prosper Lambertinus, dùm à secretis esset Congregationis Concilii, occasionemque præbuerit circa annum 1720. Clementi XI. utiliores regulas proponendi, qualis reverè propositæ fuerunt anno 1721. die 10. Januarii per encyclicas litteras ad Episcopos directas, tùm etiam rem vigilantissimè æquè ac sapientissimè absolvit, postquam ad Pontificatum Maximum evehctus est in sua constitutione anni 1742. die 14. Decembris. Itaque juxta verba Tridentini Decreti etiam locum habere debuit forma concursus in beneficiis patronatis, si patronatus sit ecclesiasticus. In patronatu laico satis est, si præsentatus à patronis periculum sui faciat apud Synodales examinatores, à quibus cùm idoneus declaretur, tùm sit sine discrimine instituendus. Quòd si patronus plures præsentet, facilè intelligitur, inter præsentatos quasi concursus fieri, illumque institui, qui magis idoneus Episcopali iudicio habitus fuerit inter eos, qui idonei fuerint ab examinatribus declarati. De jure patronatus mixto, ne verbum quidem in Tridentino decreto habetur; eamque ob rem verius est, haberi illud, ac si sit laicale, ne occasione juris, & ecclesiastico, & laico communis fraus, seu detrimentum fiat juri laicorum, cujus Tridentini Patres magnam semper rationem habuerunt. Neque dubitatum est, quominus subjacerent legi concursus Parochiales Ecclesiæ Pontifici Maximo reservatæ, aut affectæ. Etenim in Tridentino Decreto fit de his Ecclesiis reservatis etiam mentio specialis, & quamquam mentio fiat in ea parte decreti, qua præstituitur, interea vacanti Ecclesiæ Economum esse de-

Gg

sig-



signandum Episcopali auctoritate, id tamen etiam protrahitur ad ceteras decreti partes, veluti præcedentis consecratoria. Atque id quidem receptum est ita, ut concursus ab Episcopo semper indicatur, & fiat, non tamen ut excludatur Pontificis Maximi collatio. Itaque in beneficiis reservatis obtinuit, ut Episcopus, statim ac Parochia vacat, ne petita quidem à Summo Pontifice venia, concursus indicat; post initum autem à concurrentibus periculum pro diversis reservationum speciebus diversa ab Episcopo inire ratio debet, qua Romanum Antistitem de eo, quod agendum superest, certiore faciat. Nimirum si talia sint beneficia, quæ Apostolicæ Sedi reservata proponantur ratione mensium, tunc Episcopus magis idoneum more ordinario seliget, cuius nomen in Romana Dataria significavit, nec acta concursus eò mittet, nisi fuerit à Datario requisitus. At si talia proponantur beneficia, quæ reservata sint, vel affecta Sedi Apostolicæ ex alia causa, tunc Episcopus à seligendo, designandoque magis idoneo abstinebit, sed integra concursus acta ad Datarium mittet ut in Romana Curia fiat electio. Poterit tamen interea Episcopus nonnihil adiacere de singularibus alicujus ex concurrentibus qualitatibus, non ita, ut ipse illum seligere videatur, sed ut magis instruat Pontificis animum, quemadmodum expressè declaravit Benedictus XIV. in fine suæ superius laudatæ constitutionis. Quæsitum insuper fuit, num concursui obnoxia sint curata beneficia, quæ vel Clericorum, vel Monachorum Collegiis adhærent. Sanè quoties cura animarum actu per Canonicos, vel Monachos exercetur, nullo constituto perpetuo vicario, frustrà disputationi locus fieret, cum nusquam hæc beneficia aut jure, aut facto vacare intelligantur. Quoties verò cura animarum exercetur per vicarium amovibilem, nec concursui locus fit, cum nec sit necessaria Episcopi institutio, sed

tantum adprobatio requiratur. Imò nec si vicarius perpetuus sit instituendus, concursui locus fiet, propterea quod nominatio vicarii ad Collegium, vel Monasterium pertineat, quemadmodum definiit Pius V. in sua constitut. 47., quæ incipit *Ad exequendum*, quod ipsum etiam recipitur in iis vicariis, quæ pendent ab aliqua singulare dignitate ob adnexam eadem dignitati curam animarum, nisi ex immemorabili consuetudine concursui obnoxia deprehendantur. At enim legi concursus obnoxia sunt vicaria illa, quæ constitutæ sunt in quibusdam vicis, oppidis, aut pagis, dismembratione facta Ecclesiæ cujusdam Parochialis ita, ut Parochus matricis propriè Parochus dicatur, vicarii nomine dato alteri Curato in divisa Ecclesia constituto; si enim adpareat, factam esse veram Ecclesiæ divisionem, vicaria ita erecta nonnisi nomine tenus vicaria dicetur, ac propriè erit beneficium Parochiale, ac proinde concursui obnoxium. Sunt præterea, qui exempta à concursus lege asseruerunt curata beneficia dignitati Cathedralis, vel Collegialis Ecclesiæ adnexa. Verùm hæc opinio probari quidem poterit, ubi Parochialis beneficii adnexio fuerit per accessionem facta, ne beneficium Parochiale dignitati accedens dignitatis ipsius jura immutare videatur, non verò ubi unio sit æquè principalis, eove minus, ubi dignitas Parochiali beneficio accesserit. Nulla sanè dubitatio est, quin in beneficiis curatis, quæ permutantur, aut resignantur in favorem in Romana Curia, nullius sit indicendus concursus; sufficet enim doctrinæ suæ periculum facere eum, cujus gratia resignatio fit, aut permutatio, qui propterea repertus idoneus sine discrimine instituetur, quod quotidiana praxi receptum testatur Pyrrhus Corradus in praxi beneficiaria lib. 3. cap. 3. num. 5. Potiore ratione locus concursui non fiet, quotiescumque vacante beneficio jam videtur constitutus coadjutor perpetuus Parocho datus cum jure futuræ successionis, ne inutilis red-

da-

datur succedendi gratia à Pontifice Maximo dudum impetrata. Cum denique constituerit Tridentinum Concilium in fine dicti capituli 18., si adeo exigui redditus Parochialis Ecclesiæ fuerint, ut totius hujus examinis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, facilè graviores rixæ, ac tumultus possint, excitari, Ordinarii arbitrio cum deputationum consilio remitti, ea forma ommissa, aliud examen privatum, cæteris tamen servatis, quæ servari possunt, adhibere; receptum est, ut si post indictum concursus statuto die nemo comparuerit suæ doctrinæ periculum facturus, aut si ex examinatis nullus repertus idoneus fuerit, possit tunc Episcopus sine forma concursus alium examinare, illumque repertum idoneum instituere, quin locus fiat aliis, qui elapso termino in edicto concursus definito, admitti se ad periculum subeundum postulaverint, nisi ipsi se describi ante diem concursus in concurrentium numero curaverint, & ostenderint, se legitimo impedimento fuisse distentos, ne ad concursum accederent. Opportunum est hæc adiacere, Tridentinam hanc concursus legem protractam etiam fuisse à Benedicto XIII. ad præbendas theologales, & poenitentiaras in Italia, & Insulis adjacentibus constitutas, eo tantum discrimine facto, ut in his præbendis sufficiat quatuor examinatores intervenire, etiam si non sint synodales. Videatur ejusdem Pontificis constitutio, quæ incipit *Pastoralis*, impressa in appendice ad Synodum Romanam.

Quod in forma concursus contentionibus perniciosis occasionem diu præbuit, fuit concurrentium, qui propositi essent Episcopali judicio, appellatio juxta facultatem appellandi expressè factam à Pio V. Hinc speciosum erat appellandi remedium, ut ea ratione Episcopi electuri magis idoneum inter idoneos, in officio suo continerentur. Illinc autem postpositis etiam inhabilibus, aut indignis, via sternebatur ad premendos

electos, & institutos Parochos, & ad evacuandam quandoquæ prudentissimam Episcoporum electionem. Examen concurrentium, ut plurimum oretenus fiebat sine scripto. Judicium Episcopale innotebatur in acceptis responsionibus oretenus datis, item in testimoniis etiam oretenus acceptis de prudentia, & moribus concurrentium. In his adjunctis, qui appellabat, nihil apud judicem exhibebat, ex quo vel tantillum de iniquitate Episcopalis judicii adpareret. Hinc opus erat novo examine apud Judicem appellationis. Interea qui appellaverat, moras faciebat inter litigia, atque inter moras, & subterfugia tempora protrahens, in studiis insudabat, ut idoneus redderetur, qui pridem minus idoneus erat; & è converso Parochus ab Episcopo electus, & institutus, post varias fatigationes judiciales, quas graviores reddebat exercita sine intermissione animarum cura, pressus in novo examine cedere appellanti debebat. Hæc omnia minus æqua per se videbantur, imò & contraria formæ judiciorum, quæ exigit, ut non de re nova in judicio appellationis quærat, sed versetur quæstio circa ea, quæ in priore judicio ob oculos extiterunt. Itaque huc pertinuit sollicitudo laudati Prosperi Lambertini, cujus consilio gliscentibus abusibus prospexit laudatus Clemens XI., & qui deinde ad Maximum Pontificatum assumptus certam formam concursibus dedit à qua cum minimè declinaretur, tum appellationis causa & æqua esset, & foret juri omninò conformis. Itaque primum Clemens XI. anno 1721. edixit primum, ut omnibus concurrentibus eadem proponantur quæstiones, quibus satisfiat, idem Evangelii textus, quem sermone expendant; secundò, ut id fiat eodem tempore; tertio, ut omnibus idem temporis spatium præstituatur; quarto, ut concurrentes omnes in conclavi claudantur, in quod nemo extraneus ingrediatur, à quo nemo ex concurrentibus nisi re absoluta egrediatur;

Gg 2

quin-



quintò, ut singuli responsa sua, sermonemque scribant, suaque subscriptione consignent; sextò, ut responsa quidem latino, sermo autem eo, quo haberi apud populum solet, idiomaticè scribatur; postremò, ut singulorum scripta etiam à Cancellario concursus, item ab examinadoribus, necnon ab Episcopo, vel ejus Vicario, qui concursui interfuerint, subscribantur. Post hæc cautum fuit, ut non admittatur appellatio aut ab examinatorum aut ab Episcopali judicio, nisi intra decem dies à die collationis interposita; item ut in judicio appellationis exhibeantur acta concursus, vel authographa ipsa obsignata, vel authentica exemplaria subscripta à Cancellario concursus, alteroque Notario collatione facta cum authographo coram Vicario Episcopi, vel altero ab Episcopo deputato, imò & subscripta ab examinadoribus, qui concursui interfuerunt. Ab his actis pendere jussit novum judicium circa doctrinam electi, & appellantis. Quòd si appellans conquerratur causa aliarum qualitatatum, de istis etiam fidem facere voluit, vel ex actis primi concursus, in quibus scripto etiam essent exhibenda morum, prudentiæ, cæterarumque dotium testimonia, vel ex novis documentis etiam extrajudicialibus, dummodò gravia existerent. Clementis XI. mentem confirmans, imò clarus explicans, & nova quædam adjiciens Benedictus XIV. in sua constitutione *Cum illud* anni 1742. sanxit primò, ut Episcopus statim ac notitiam vacantis Ecclesiæ Parochialis habuerit, Vicarium deputet ad normam Tridentini Concilii; secundò, ut publico edicto evulgetur notitia concursus congruo, certoque tempore celebrandi, eodemque edicto moneantur omnes, ut interim coram Cancellario, vel altero ab Episcopo deputando unusquisque, ex concurrentibus suarum qualitatatum, meritatum, & munerum testimonia exhibeat, post elapsam terminum non amplius recipiendâ; tertio, ut Cancellarius hæc ipsa exhibita documenta summam bonâ fide ex-

hibeat Episcopo, vel Vicario, atque omnibus examinadoribus ad concursum adactis; quartò, ut diè præstituta concursus habeatur juxta formam à Clemente XI. præstitutam, & examinadores renuncient, quotquot idonei fuerint, reiectis illis, quos rejiciendos suo suffragio judicaverint; quintò, ut absoluto concursu notula compendiaris requisitorum à Cancellario confecta vel comburatur, vel pænès acta secreto custodiatur, nemini sine Episcopi mandato pandenda; ac subinde Ordinarius, cum primùm ei liberit, inter adprobatos digniorem eligat, & electo nullo appellationis, vel inhibitionis obtentu possessio non retardetur; sextò, ut si fortè appellatio inde interponatur, judicium appellationis totum fiat in conspectu actorum in concursu exhibitorum, quin amplius sit facultas nova documenta proferendi; septimò, ut si Episcopus fortè habeat certas occultas suæ electionis causas, valeat familiaribus litteris eas Judici appellationis patefacere, ut earum ratio, si expediat, haberi possit, adjecta lege in violabilis secreti; quòd si Episcopus suspectam fidem habuerit Judicis, ad quem appellatum est, eam significet familiaribus litteris Præfecto Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus à Judice appellationis debitus justitiæ locus tribuatur; octavò denique, ut si Judex appellationis conformem Episcopali sententiam protulerit, non alia appellatio admittatur; quamquam si sententia difformis fuerit liceat victo appellare; qua appellatione secuta, executioni omnimò mandetur judicium illud, quod duorum judicium sententia fuerit comprobatum.

His omnibus perstrinxit concursus formam, qualis obtinuit à temporibus Tridentini Concilii usque ad hanc ipsam ætatem. Non debet tamen silentio præterire, quod quidam Scriptores in hac materie aut nimis effræni, aut certè parum maturato judicio tradiderunt. Quidam extiterunt, minimè dubitantes carpe-

pere Tridentinum decretum, eove etiam magis Pii V. constitutionem; utrobique enim notarunt stratum esse viam Clericis, ut spontè ad beneficia Parochialia prosiliant, eadem, dum concurrunt, vehementer postulent, dum abs judicio examinatorum, aut Episcopi appellant, se cæteris magis idoneos, magisque dignos prædicent, quæ omnia ajunt esse plena ambitus, eamque ob rem generali canonum disciplinæ contraria, quando apud veteres, qui ad animarum curam vocabantur, potius aut trahebantur invitati, aut etiam fugientes vi facta detinebantur, quemadmodum testatur Augustinus in can. 38. caus. 23. quæst. 3., cui jungi potest lex 31. cod. de Episc. & Cler. Audax hæc est scribendi licentia, qua de providentia Tridentini Concilii, & Pii V. multis laboribus excogitata, ac producta ob unam Ecclesiarum omnium utilitatem tale judicium feratur; neque enim mihi videntur; qui ita sentiunt, adjuncta callere, quæ concursus disciplinam si non omnimò necessariam, saltem utilissimam fore persuaserunt. Debet in primis perpendi, Patres Ecclesiasticos etiam in Conciliis constitutos non semper reducere posse disciplinam, & mores prisce ætatis, imò & aliquando debere novas edere leges in iis, quæ nec naturali honestati, nec divinæ legi repugnant, propterea quod circumstant successu temporum causæ plures, quibus aliàs consuli salubriter nequit, quam novitate quadam, quæ etiam si quidquam continet aut paulo asperum, aut minus speciosum, dummodò non inhonestum, nec pravum, laudanda semper est, quasi medela quædam porrecta illis, quorum salutis magis, quam palati delicatioris ratio habeatur. Itaque tria hæc dièi jure possunt; primum, nihil contineri, aut in Tridentino decreto, aut in constitutione Pii V., quod honestati repugnet; alterum etiam si quidquam duriusculum adpareat, dandum quidquam esse adjunctis temporum, quibus opportunis remedium adhiberi non pote-

rat; postremum, quidquid asperitatis contineri initio videbatur, sollicitudine recentiorum Pontificum lenitum adhuc fuisse, uti evenire solet in novis legibus universis quas dum legumlatores condunt, prospiciunt statim utilitati publicæ, successoribus suis relinquentes, ut legum earundem executionem poliant magis, magisque, atque etiam, ubi opus fuerit, magis exornent, atque accommodent. Reverà quid est, quod objicitur Tridentino decreto? Ajunt, spontè Clericos beneficium postulare, sese quasi dignos, aut etiam præ cæteris digniores prædicare, dum periculum subeunt, quasi suscepto certamine inter plures, qui de morum, doctrinæ, & prudentiæ prærogativa contendunt. At enim, etsi quandoquæ contingere possit, ut Clerici concurrentes ambitu moveantur, id tamen non evenit, nisi ex concurrentium facto, non ex Tridentina lege, qua non aliter præstituitur concursus, quam præhabito edicto Episcopi omnes advocantis; quare non ex ambitu concurrerit, qui vocanti Episcopo patet. Fateor, edictum Episcopi neminem obligare; verum adhuc illud facit, ut qui accedat, non spontè dicatur accedere, sed vocatus, rogatus, & vehementi quadam suasionem invitatus. Quidquod Concilium Tridentinum etiam expressè voluit, ut certorum Clericorum expressa nominatio vel ab Episcopo, vel à Patronis, vel etiam ab aliis fieri posset; & tùm demùm edicto publico Episcopi locus fieret, cum id Episcopus, vel Provincialis Synodus magis expedire judicaret? Hæc sanè omnem ambitus suspensionem eliminant. Reponunt, ambitus crimen adparere ex appellatione, quam aut rejecto, aut posthabito competere Pius V. declaravit. Sed observandum est, eum, qui appellat ex eo, quòd idoneus, aut indignus judicatus est, omni venia dignum esse, cum injuriam in se illatam prosequatur; postquam enim aut specialiter, aut generali edicto vocatus est, ut se apud Episcopum sisteret suæ doctrinæ,



næ, cæterarumque qualitatuum specimen præbiturus, & paruit; ritè ad Superiorem conqueritur nominis, famæque suæ, ejus diminutionem passus est, reparandæ causa. Paulò quidem distat à rejecto, qui idoneus declaratus est, & alteri postpositus, sed non est longè remotus, etenim & iste injuriam in se illatam prosequitur. Quod si qua videtur species ambitus, hanc diluit Ecclesiarum utilitas, quam promovet concessa appellandi facultas, nimirum ad continendum Episcopum in officio, ne, secuta renunciatione idoneorum ab examinadoribus facta, suæ voluntati indulgeat. Qui rejectus est velut inidoneus, provocat ab judicio examinadorum, quibus talis non visa est concedenda auctoritas, qualis nec Episcopis competit, nimirum ut inappellabilem sententiam proferant. Qui idoneus ab examinadoribus declaratus provocat ab judicio Episcopi, à quo postpositus fuit, provocat sanè à sententia singulari, quam unus Episcopus protulit; sententiæ autem singularis non tanta habenda est ratio, ut minimè possit retractari. Si qua adhuc species ambitus est, saluberrimæ inde prodierunt Pontificum Maximorum constitutiones, præsertim laudata constitutio Benedicti XIV., quibus & insolentia temerè appellantium, & facilitas appellationis, & appellandi modus, rationesque universæ coercitæ fuerunt ita, ut, cum hinc moniti visi fuerint Episcopi, & examinadores, ut sincerè integreque judicent, tunc illinc omnis temerè appellantium ambitus damnaretur. Quod tamen magis magisque disciplinam concursus laudabilem efficit, consistit in causis, adjunctisque universis, inter quæ eadem fuit in Concilio Tridentino probata, ac debuit deinde in certam formam redigi Pontificum Maximorum provida auctoritate. Pluries in Tridentino Concilio actum est de obligatione residendi in Ecclesiis, quæ Episcopos tenebat. Episcopi residentiam ut plurimum negligentibus incusabant mores illius ætatis, in quo-

rum conspectu inanis propemodum residentia videbatur. Allegabant ipsi, Parochos ut plurimum institutos reperiri eos, qui idonei passim essent, & si idonei forent, detrectare illos Episcopis obsequi, obtemperare; proptereaquod Parochi frequentius instituebantur à Pontifice Maximo, & quidem ii, de quorum doctrina, & moribus conscius nunquam Romanus Antistes fuerat; itidem ii, qui ob exercita in Curia Romana officia, aut ob singularia privilegia exemptionem ab Ordinadorum jurisdictione obtinuerant. Episcopi plures, præsertim Hispani, proposuerunt, caveri in Concilio, ne beneficia Parochialia ulli obnoxia essent reservationi, sed liberè omninò ab Episcopis conferrentur. Romanis Antistibus minimè placuit consilium, quasi inde diminui videretur Sedis Apostolicæ auctoritas in beneficiis conferendis, jamdiu moribus confirmata; præsertim verò Episcopis Hispanis oppositum fuit, jam plura beneficia majora, seu consistorialia universa ex Regis nominatione pendere, & vix superesse collationi Pontificæ locum, si à collatione Pontificæ, eximerentur etiam beneficia Parochialia. Interea novi modi excogitandi fuerunt, quibus Ecclesiarum utilitati consuleretur. Proponi cœpit, beneficia curata universa ita conferri ab Episcopis, ut cætera beneficia non curata omninò reservarentur Pontificæ collationi. Si id non placeret, propositum subinde est, beneficia Parochialia non alio modò conferri, quam *in forma dignum*. Si neque id placeret, propositum tandem, Pontificem Maximum conferre debere beneficia Parochialia tantum viris dignis diocæsanis, quorum syllabus ab Ordinariis mitteretur. Post varias concertationes cum nulla ex propositis forma placeret, proposita fuit forma concursus etiam in beneficiis reservatis. Hæc magis arrisit; cum verò quidam allegarent, locum inde fieri amulationibus, odiis, & importunis ambientium petitionibus, his omnibus satisfac-

tum

tum est proposita forma edicti convocantis eos, qui concurrere malissent, & nominationis selectorum virorum ab Episcopo, à patronis, atque ab aliis faciendæ, uti legitur in Tridentino decreto, quod omninò & statim placuit, ac fuit comprobatum. Post hanc providam sollicitudinem, quid amplius objici potest adversus Tridentinum decretum, quando per se nihil inhonestum, aut indecorum exhibet, publicam Ecclesiarum utilitatem fovet, ac promovet, & in iis adjunctis editum fuit, quo opportunius remedium gliscentibus malis adhiberi non poterat; inde autem ita recentiorum Pontificum cura talem modum accepit, quo omnia ritè, atque ex integritate perficiantur?

Quidam adhuc extiterunt, qui Tridentinum decretum laudabile quidem esse fassi sunt, adhuc tamen *odiosum* esse dixerunt. Passim hæc phrasis apud Pragmaticos invenitur; non sanè, uti ego censeo, quòd Pragmatici putent, concursus formam agrè esse ferendam, sed quòd dicere velint, novam omninò esse, nec facilè protrahendam ad casus in Tridentino decreto minimè expressos. Ita passim Pragmatici prædicare solent *odiosas* leges novas universas, utut in publicam utilitatem editas, proptereaquod rem odiosam putent eam, quæ veterem disciplinam immutat. Id fundamentum habet in laudabili conatu, quo unusquisque tendit ad veterem retinendam legem, aut consuetudinem, quousque aut legi, aut consuetudini non adpareat expressè derogatum. Simile ego exemplum propono in conspectu capituli 22. de elect. in 6. Statuerat Gregorius X., ne quis ad Parochiale munus adsumeretur, nisi qui aut Sacerdos jam esset, aut intra annum ad sacerdotalem ordinem promoveretur. Quid utilius, quid favorabilius esse poterat, hoc decreto, quo statuebatur, neminem Parochum esse posse, nisi qui munus Parochiale in officiis præsertim sacerdotalibus exercendis consistens implere posset? Quæsitum fuit, num

decretum illud etiam comprehenderet eos, qui nanciscerentur in Collegiata Ecclesia dignitatem, cui adnexa esset cura animarum. Congruum sanè videbatur, ad hanc speciem Gregorianum decretum extendere. Aliud tamen placuit Bonifacio VIII. in dicto cap. 22. Hic Pontifex Jureconsultum agens observavit Gregorianum decretum novum esse, idemque pœnale; observavit, nihil expressè continere de dignitatibus Collegiorum. Inde deduxit, dignitates Collegiorum esse à decreto exemptas. Bonifacii doctrinam imitantur, ac sequuntur laudati Pragmatici, cum Tridentinum decretum *odiosum* dicunt, proptereaque non prorogandum ad casus in eodem decreto minimè expressos. Si hæc ita considerentur, concludi facilè potest, Tridentinum decretum in iis, quæ expressa sunt, omni favore dignum existere, sive quòd ex eo seligantur Ecclesiis regendis administri maximè idonei, ac digni, sive quòd nonnisi post maturam deliberationem illud editum fuerit ad medendum gravissimis abusibus, qui irreperant, sive demùm quòd nulla alia meliore ratione Ecclesiis consuli poterat. Quod si odiosum credidisset Benedictus XIII., non sanè illud extendisset, uti extendit, ad Præbendas Theologales, ac Pœnitentiarias, quemadmodum superius observabam. E converso concludi etiam potest in iis, quæ specialiter expressa non sunt, indulgendum maximè, si idem decretum non extendatur, sive quòd agatur de lege nova, sive quòd ex eo decreto pœna inferretur, ut ajunt, nullitatis collationis beneficii, quod legem pœnalem facit, proptereaque coercendam; sive demùm quòd ex eo decreto passim plurimi conquerantur, jura sibi jamdiu competentia imminui, quod vel ipsi Tridentini Patres executi sunt, cum patronalia beneficia immunia esse voluerunt à lege concursus. Hæc in causa sunt, quare, uti superius dictum est, Vicariis etiam perpetuis, in beneficiis Parochialibus adnexis dignitatibus, aliisque simili-

bus



bus, exceptio agnita est, qua plura beneficia Parochialia à lege concursus eximerentur, argumento dicti capituli 22. de elect. in 6. Adeo verum est, etiam ea, quæ in publicam utut gravissimam utilitatem eduntur, non semper singulis omnino placere, privataque studia modos invenire

etiam probabiles, quibus singularis utilitatis ratio habeatur, qualis est modus iste, qui adinvenitur, prætextu veterum legum, ac consuetudinum sanctissimè tuendarum, quousque expressè, & specialiter illis non adpareat derogatum.

### CAPUT III.

#### De forma adsequendi beneficia electiva, vel optabilia, vel patronata.

Canonicatus, aut præbendæ Cathedralium, aut Collegiarum Ecclesiarum singularem aliquando Clericorum instituendorum formam postulaverunt; nimirum in nonnullis Ecclesiis receptum est, ut beneficia, quæ vacarent in Capitulo, vel Collegio, conferrentur iis, quos Capitulum, vel Collegium elegerit, cap. 3. 1. in fine de elect., Clement. 1. de præbend., in nonnullis etiam receptum est, ut vacantem præbendam, vel Canonicatum liceret uni ex Canonicis optare, à sua præbenda, vel titulo in vacantem præbendam, vel titulum transeundo, cap. 4. de consuetud. in 6. Singularibus his disciplinis invehendis occasionem potius dederunt consuetudines, aut statuta, præsertim Apostolica auctoritate confirmata, quam generale jus scriptum, quo inspecto neque electio, neque optio probatur, cum omnia beneficia tantum consentiente Capitulo debeant ab Ordinario conferri. Potissimum verò singularia illa electionum, aut opinionum jura inventa sunt, quo tempore aut iniri, aut restaurari inter Canonicos vita communis cœpit. Cum enim devotum esset ad ea sæcula, quibus Ecclesiarum Antistites, ac præsertim Pontifices Maximi ad avertendos abusos, qui clericalem disciplinam omnino labefactaverant, omnem sollicitudinem adhibuerunt, nihilque aptius esse duxerunt, quam si vitam communem inveherent, exemplo

Monachorum, quorum vitam omnibus facile erat imitationi proponenda; Clerici iidem ad vitam communem vocati, cum oneribus Monachorum, suæ vitæ monasticæ sibi viderentur subjacere, tum privilegia & jura Monachorum sibi facile vindicarunt. Quid enim adversus Canonicos objici poterat, cum ad jura Monachorum explicanda anhelarent, quando quotidie ad illos in officio continendos proponebatur tamquam exemplar vitæ monastica? Porro apud Monachos invaluerat ex eorumdem regulis; ut nemo ad monasterium admitteretur, nisi qui communi Monachorum suffragio electus esset. Idipsum & Canonici postulaverunt; proponebant enim & id constitutioni vitæ communis esse opportunum, proptereaquod is in familiam ea ratione advocaretur, qui esset omnibus gratus; aliàs autem nihil Episcopalis ordinis sibi vindicabant, quando jam tum disjungi cœperat collatio ordinum à collatione beneficiorum. Item invaluerat apud Monachos, ut cum unus ex ipsis decederet, cubicula, domus, vel prædiola, cubiculis, aut domibus adhærentia à defuncto possessa, seniori ex Monachis utenda cederent, si eisdem senior Monachus uti voluisset. Idipsum & Canonici sub eodem recto viventes sibi vindicaverunt. Hæc sunt jura vel electionis, vel optionis apud Canonicos inventa, quo primum tempore vitam commu-

munem, & pœnè monasticam iniverunt, quæ etiam superfuerunt eadem vita communi successione temporum dissoluta.

Ut de electione primum dicam, non æquali ratione in omnibus Ecclesiis recepta est. Alicubi enim invaluit, ut electione à Canonicis facta, Superioris, sive Episcopi confirmatio, atque institutio expectetur, quæ electionis species minus recedit à forma juris communis. Alicubi invaluit, ut sola electio titulum beneficiario tribuat, qui proinde statim ab electione secuta sine ulla Superioris institutione, aut confirmatione, canonicatus, seu præbendæ possessionem capere potest, atque in hac specie beneficia propriè electiva vocantur. Qualis autem debeat esse electio, ex moribus potius, aut ex statutis unicuique Collegio singularibus deduces, quam ex aliis causis: atque in dubio semper eò referenda res erit, quò, quoad minus fieri possit, lædatur jurisdictio Superioris, ac propterea Superioris ejusdem confirmatio, quæ locum institutionis teneat, nisi exclusa perspicuè adpareat, desideretur. Non immoror hinc diutius in tradendis electionum regulis, quas alio in loco opportunius expendi. Tantum dixero, in specie eligendorum Canonicorum non esse necessario servandam formam, quæ singulari jure in eligendis Prælati præstituta fuit à Concilio Lateranensi, cap. 41. 42. 43., & 44. de elect., sed sufficere, si Canonicorum more solito collegialiter, ut ajunt, congregatorum major pars suffragio suo Clericum quemquam idoneum, & dignum elegerit, ut statim electus jus in vacante beneficio nanciscatur, quin eligentibus detur facultas post hoc jus electo quæsitum ad novam electionem deveniendi. Singularia quædam induxit in hac re Bonifacius VIII., non quidem in beneficiis, quæ verè electiva sunt, & sola electione conferuntur, sed in beneficiis, in quibus post electionem à Col-

legiis factam adhuc requiritur Superioris confirmatio, uti legitur in cap. ult. de elect. in 6., ubi statutum est, ut, quoties electio, etiam si concordia, celebrata sit, non primum Superior electionem ratam habeat, ac confirmet, quam si proposuerit generale edictum, quo intra certum preceptorium tempus vocaverit eos, qui velint adversus electionem opponere ad allegandas, probandasque in judicio exceptiones; imò, si constet coelectum quemquam alterum esse, vel singularem esse contradictorem, etiam istos speciali citatione in judicium vocet, causas allegaturos, ac probaturos, ob quas electio non sit confirmanda: quòd si non actum fuerit, confirmatio ipsa unà cum subsequuta institutione nullius sit momenti.

In optione, quoties ex statutis, vel moribus certarum Ecclesiarum locum habeat, plura observantur. In primis obtinet, ut vacante beneficio collegiali, sive Canonicatus sit, sive præbendæ, Canonicus antiquior possit illud optare, dummodò voluntatem suam declarat intra tempus statuto definitum, vel, si nullum expressum sit tempus in statuto intra viginti dies, qua non declarata, locus gradatim fiat optantibus junioribus, ita ut qui senior optaverit, statim ex eo, titulum, aut præbendam obtinuisse videatur, quin opus habeat institutione. Deinde observandum est, non unum esse in omnibus Ecclesiis optionum genus. Sunt enim aliquæ Ecclesiæ, in quibus determinatus est quidem numerus Canonicorum, & Canonicatum, discretis singulorum officiis, juribus, titulis, & oneribus, non verò determinata sunt ex. gr. prædia præbendalia, sive urbana, sive rustica, jura decimarum, & similia; ita ut non eadem eundem semper Canonicatum sequantur, sed modò uni, modò alteri Canonicatui juxta singularem Canonicorum electionem adhæreant. Sunt aliæ Ecclesiæ, in quibus sicut beneficia ipsa, ac tituli, ita & redditus omnes beneficiarii invicem discre-